

sit parcus & nutriens; tempore præservationis moderatus
 & plenior. Panis condiatur aniso, coriandro, fœniculo, ad
 faciliorem penetrationem & flatuum discussionem. Car-
 nes conveniunt assatæ potius quàm elixæ. Avicularum &
 venationis carnes, ut docet Celsus, optimæ sunt, quia mode-
 ratè exsiccant; Quæ omnes, sicut & reliqui cibi, in primis eli-
 xi, parentur cum salvia, petroselino, hyssopo, fœniculo, serpil-
 lo, cinamomo, pipere, mace, caryophyllis aliisque aromati-
 bus & similibus cordialibus calidis. Ova recentia & tremu-
 la conveniunt, nam facili negotio, vel à parvo calore, supe-
 rantur, & in optimum sanguinem convertuntur. Caveantur
 aliàs omnes ferè herbæ & olera, rapæ, castaneæ, legumina &
 omnia flatulenta. A piscibus etiam abstinendum est, nisi
 pisciculos salitos cum origano concedere libeat. Similiter
 omnes fructus sugere expedit, concedenda tamen mala per-
 sica, cotonea, pistacia, nucleos pini & passulas. POTUS etiam
 causæ adversetur & corroborandi viri habeat. Vinum sit
 tenue, odoratum, dulce; Cerevisia clara & defæcata, qui po-
 tus herbis & aromatibus convenientibus condiantur. ANI-
 MI PERTURBATIONES noxiæ sunt; gaudium tamen & ira in
 causa frigida, contra Avicennæ doctrinam, quandoque palpi-
 tationis remedia esse putantur. EXERCITIA CORPORIS mo-
 derata conferunt, quia causam mali, flatum scilicet, absu-
 munt. SOMNUS sit moderatus, ubi advertendum, malo huic
 obnoxios nunquam debere dormire solos, quia hic morbus
 noctu solet interdum adeò repentiè & impetuosè invadere,
 ut nisi succurreretur celerrimè, periculum immineat suffo-
 cationis. VENERIS USUM nisi à seminis retentione
 malum ortum fuerit, omninò fugere
 convenit.

C

Est